

tis vestris, et subjacet eis; ipsi enim pervigilant tanquam pro animabus vestris rationem reddaturi (1). In quem locum Chrysostomus scribens dicit, melius esse non habere Præpositum, quam habere, et ei non obedire; quia qui non habent, solum patiuntur damnium directionis pastoralis: at qui habent, et non obediunt, patiuntur illud idem damnium, et præterea peccant, et puniuntur a Domino. Item Basilius in Constit. cap. 22. exponens hunc locum, dicit, Apostolum subjunxisse; *Id enim vobis non est utile, ut indicaret grave damnium, et peccatum, ac punitionem sequi eos, qui non obediunt Præpositis suis.* Nam in Græco textu non habetur negative: *Non expedit vobis* sed positive, *incommodum est, ἀνευταλές γὰρ ὑμῖν τούτο*, quod incommodum sive detrimentum Basilius interpretatur peccatum debitum ob culpam transgressionis. Atque hæc ex Scripturis.

Secundo, probatur ex traditione Patrum, ac in primis nullum fere est Concilium, quod non aliquid præcipiat, vel interdicit sub pœna anathematis, vel depositionis. Pari ratione plena sunt epistolæ Pontificum, quæ vel in tomis Conciliorum, vel in corpore Juris canonici legi possunt, præceptis et censuris. Nos etiam attulimus præcipua loca ex epistolis antiquorum Pontificum, Leonis, Gelasii, Hilarii, Anastasii, et Gregorii, in lib. II. cap. 29. His ergo omissis, adferemus testimonia Veterum, solum de una lege Ecclesiastica, quam hæretici maxime reprehendunt, et quod de illa una probabimus, idem de omnibus aliis probatum erit.

Igitur quod lex jejuniorum Quadragesimæ vel quatuor temporum, aut Vigiliarum sit plane positiva et Ecclesiastica, fatentur adversarii: quod autem ea obliget in conscientia Fideles, etiam citra contemptum, docent omnes Veteres. Can. 68. Apostolorum jubet Clericum deponi, et laicum excommunicari, si jejunia indicta solverit. Item Concilium Gangrense can. 19. jubet, excommunicari eos qui indicta jejunia sine necessitate solvunt. Et Concilium Toletanum VIII. can. 9. eos privat sacra communione in Paschate, et jubet, toto anno a carnibus abstinere, qui Quadragesimæ jejuniū violaverint. Et nota, non dicere Concilium, qui ex contemptu, sed qui ex intemperantia non jejunt.

Basilius Orat. 2. de jejuniis: « Omnes, inquit, æqualiter et præceptum audiunt, et

cum gaudio suscipiunt. » Et infra: « Vide ne propter parvam eduliorum voluptatem damnium incurras, et teipsum criminis desertorium statuas. » Chrysostomus hom. 6. ad popul. Antioch. « Adveniente, inquit, jejuniis, et si milles quis exhortetur, et infinita crucient, et cogant vinum delibare, vel aliud quid jejunii lege non concessum gustare, omnia quis mallet pati, quam prohibuit tangere nutrimentum. » Et hom. 2. in Genes. dicit, Quadragesimam inflectere omnium conscientiam, etiam Imperatorum, ad obedientiam.

Ambrosius serm. 23. « Non leve, inquit, peccatum est, indictam fidelibus Quadragesimam violare, et jejunia consecrata ventris voracitate dissolvere. » Hieronymus in epist. ad Marcel. de error. Mont. « Nos unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum tempore nobis congruo jejunamus. Non quo, et per totum annum, excepta Pentecoste, jejulare non liceat, sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre. » Nota, necessitate. Augustinus serm. 62. de temp. « Aliis diebus jejulare remedium est, aut præmium, in Quadragesima non jejulare peccatum est. » Leo serm. 3. de jejuniis. decimi mensis: « Pium, inquit, est agere non indictum, impium est negligere prædicatum. »

Denique Epiphanius hæres. 75. et Augustinus hæres. 63. ponunt Aerium inter hæreticos, eo quod jejunandum quidem esse diceret, sed non ex præcepto Ecclesiæ sed quando unicuique placet: « Neque jejuniū inquit, Aerius apud Epiphanium, « erit ordinatum, hæc enim Judaica sunt, et sub jugo servitutis, justo enim lex non est posita. Si vero omnino volo jejulare, qualemcumque eligam diem a meipso, et jejunabo propter libertatem. » Eadem Lutheranorum oratio esse solet.

Tertio, probatur ratione. Sunt necessariae aliquæ veræ leges ad Ecclesiam bene gubernandam præter leges divinas et civiles: omnis autem vera lex vim habet coactivam; ergo sunt necessariae in Ecclesia leges Ecclesiasticæ coactivæ: non sunt autem, nec fuerunt unquam in Ecclesia aliæ leges Ecclesiasticæ, quam illæ, quas summi Pontifices, aut Concilia a summis Pontificibus confirmata ediderunt; igitur leges Pontificum et Conciliorum ejusmodi, leges sunt coactivæ,

ac vere et proprie in conscientia obligantes Sed probanda est propositio et assumptio primi syllogismi, inde enim cætera pendent.

Esse igitur necessarias aliquas leges Ecclesiasticas, facile probari potest. Nam eadem ratione sunt necessariae leges in Ecclesia, qua in omnibus aliis Rebus publicis: ratio enim, cur leges sint necessariae in omni Republica est, quia homines, ut bene vivant, debent secundum rationem vivere: et tamen, quia constant ex corpore et spiritu, ex ratione et sensu, vix possunt sine affectu secundum solius rationis ductum judicare; ideo igitur leges inventæ sunt, quæ nihil continent, nisi rationis judicium, ut cum eas sequi homines coguntur, cogantur simul rationem sequi: jam hæc ratio in Ecclesia etiam locum habet. Nam licet Christiani per gratiam Christi liberati sint a peccato, non tamen liberati sunt a concupiscentia et passionibus, quæ cum ratione perpetuo pugnant.

Dices: habent Christiani legem Evangelicam, quam sequuntur. Respondeo; habent quidem, sed illa nimis est universalis, nec sufficit dirigere omnes actiones nostras, nisi per determinationes Principum Ecclesiasticorum fiat aliquo modo particularis. Sicut etiam politicae Respublicæ habent legem naturalem, et tamen quia illa est nimis generalis, non sufficit, nisi deducatur ad particularia per determinationes Principum.

Quare, quemadmodum in Republica civili necessariae sunt leges civiles, quæ sunt quædam quasi conclusiones deductæ ex jure naturæ, vel determinationes juris naturæ: sic etiam in Ecclesia præter legem Evangelicam necessariae sunt leges Ecclesiasticæ, quæ sunt etiam veluti conclusiones deductæ ex principiis Evangelii, vel determinationes. Exempli gratia, Evangelium dicit: *Qui mihi ministrat, me sequatur* (1), inde Ecclesia deducit quasi conclusionem; ergo utile erit sancire legem, ne ad ministerium sacrum admittantur, qui noluerint esse continentes. Item, Evangelium jubet sumi Eucharistiam, sed non determinat quomodo, aut quando; igitur Princeps Ecclesiæ determinat, ut saltem in Paschate sumatur, et Apostoli legem condunt, ut sumatur ante omnes alios cibos, nimirum a jejuniis.

Hinc Augustinus in epist. 418, cap. 6. « Non præcepit, inquit Dominus, quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per

quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. »

Restat nunc, ut probetur assumptio, videlicet, omnem veram legem esse coactivam. Id vero aperte docet S. Thomas I. 2. quæst. XCVI. art. 5 et 2. 2. quæst. LXVII. art. 1 et lectione 3, in cap. I. ad Rom. et probatur ex ipsa natura legis. Est enim lex regula quædam humanarum actionum a Deo immediate, vel mediate constituta: deviare autem a regula peccare est. Unde Aristoteles lib. X. Et hic. cap. 9: « Lex, inquit, est sermo ab aliqua prudentia ac mente profectus, vim habens cogendi, » Itaque essentia legis in hoc posita est, ut vim habeat cogendi et ligandi, ita ut sit peccatum aliter agere. Quod item ostendit definitio peccati, quid enim est peccatum, nisi transgressio legis? Sic enim definitur peccatum ab Apostolo, I. Joan. V. *ἡμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία.* Neque potest dici, legem obligare ad non contemnendum. Nam lex, quæ obligat ad non contemnendum Principem, est lex quædam generalis, et divina: hæc autem de qua nunc agimus, est particularis et humana, ut cum Pontifex dicit, jejuna Quadragesimam, non obligat te ad non contemnendum superiorem, sed ad jejunandum.

CAPUT XVII.

Solvuntur argumenta adversariorum, ex Scripturæ testimoniis ducta.

Superest argumenta solvere. Primum sumunt ex illo Matth. ult.: *Baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis* (2). Ubi notant, non esse dictum, docentes mandata vestra, sed mea: inde autem colligunt, non licere Episcopis præcepta dare; hoc est argumentum Joannis de Westphalia. Respondeo: in iis, quæ mandavit Dominus, illud etiam esse, ut servantur præcepta Prælatorum, Dominus enim ait: *Qui vos audit, me audit etc.*

Secundum ex illo Deuter. IV.: *Non additis ad verbum quod ego loquar vobis, neque minuetis ex eo.* Et cap. XII.: *Quod præcipio tibi*

(1) Joan. XII, 26. — (2) Matth. XXVIII, 19 et 20.

(1) Hebr. XIII, 17.

hoc tantum facito : Domino non addas quidquam neque minus (1). Ubi sermo est de præceptis caeremonialibus, et judicialibus; nam cap. IV. præcedit : *Audi Israel præcepta atque judicia etc.* Et cap. XII : *Hæc præcepta atque judicia etc.* (2). Jam vero si Deus præcepit Israelitis, ut nullum præceptum adderent ad ea, quæ in Scriptura Testamenti veteris continentur, quanto magis præcepisse censendum est ne Christiani addant ad Evangelium, quod est longe perfectius Testamento veteri? Hoc argumentum Lutherus, Calvinus, alique fere omnes faciunt. Et Petrus Martyr tantum facit, ut in Comm. cap. VIII, l. ad Cor. in margine posuerit : *Nota bonum argumentum.*

Respondeo : duobus modis posse intelligi additionem, vel detractionem ad præceptum fieri. Uno modo, quod addatur præceptum præcepto, ut si ad numerum decem præceptorum adderentur duo alia præcepta et fierent duodecim, vel detraherentur duo præcepta de numero denario, et fiant solum octo. Alio modo, quod sine multiplicatione præceptorum plus fiat, quam præceptum jubeat, vel minus; ut si cum Deus jubeat in Paschate comedi unum agnum a singulis familiis, aliqua familia duos agnos comedisset, vel dimidium tantum. Dico igitur : Scripturam non prohibere additionem prioris generis, sed posterioris tantum, id est, non prohibere additionem ad numerum præceptorum; sed additionem ad opus præceptum: id quod probat, quia invenimus Judæos addidisse ad numerum præceptorum tam caeremonialium, quam judicialium.

De caeremonialibus additis multa sunt exempla. Nam Esther IX. : *Scriptis Mardocheus, inquit Scriptura, ut quartadecimam et quintadecimam diem mensis Adar pro festis susciperent, et revertente semper anno, solemni celebrarent honore.* Et infra : *Susciperunt Judæi super se, et semen suum, et cunctos qui religioni eorum voluerint copulari, ut nulli liceat duos hos dies absque solemnitate transigere.* Item Judith cap. ult. in fine : *Dies, inquit, victoria hujus festivitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, et colitur a Judæis ex illo tempore usque in presentem diem.* Item I. Mach. IV. : *Et statuit Judas et fratres ejus, et universa Ecclesia Israel, ut agatur dies Dedicacionis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo* (3). Quod

festum etsi novum et additum veteribus, Dominus quoque presentia sua honoravit, ut patet Joan. X.

De judicialibus habemus exemplum I. Reg. XXX. ubi David novam legem condidit, ut æqua pars esset in bello descendendum ad prælium, et remanentium ad sarcinas : *Et factum est hoc, inquit scriptura, ex die illo constitutum et præstitum et quasi lex in Israel* (4). Nec obstat, quod dicitur, quasi lex. Nam in Hebræo non habetur, quasi lex, sed solum *לרף זה ורכש זה* id est : *in præceptum, atque judicium*, quæ sunt illa duo vocabula, quæ habentur Deut. IV et XII. non ergo prohibet Scriptura addi nova præcepta, sed prohibet addi vel minui de ipso opere : et confirmatur hoc. Nam Deuteronom. III, et XII. non Moyses alloquitur Principes, quorum est leges condere, sed populum, cujus est obedire; ergo solum præcipit id quod populo conveniebat præcipi, non mirum, ut impleat integre opera præcepta, non addendo, vel minuendo. Quod clarius explicuit idem Moses Deuteronom. V. ubi loquens de eadem re : *Facite, inquit, quæ præcepit Dominus Deus vobis, non declinabitis neque ad dexteram neque ad sinistram* (5). Certum est enim, hic Moysen loqui de implementatione præceptorum non de ferendis novis legibus.

Est autem hoc loco observandum, cum Moses præcipit, non esse addendum ad id quod lex præscribit, hoc debere intelligi de additione corruptente, non autem de perficiente opus præceptum. Nam cum lex dicit : *Non furaberis*, qui non tantum non auferat aliena, sed etiam donat sua, plus facit, quam lex præcipiat : nec tamen dicitur addere, quia non destruit præceptum, imo melius illud servat. At cum lex dicit, solum sacrifices oves, et boves, et aves mundas; si quis velli sacrificare etiam canes, et sues, et homines, ille addet, et corrumpet præceptum. Et hoc exemplum ponitur Deuteronom. XII cum prohibetur additio, ne videlicet sacrificarent filios suos, sicut Gentiles faciebant.

Secundo solvi potest argumentum, etiam si admitteremus, Scripturam prohibere additionem novarum legum. Nam deberet intelligi ista prohibitio solum de additione legum contrariarum prioribus legibus, ut B.

Thomas recte monet in c. I. ad Gal. lect. 2 et 3. et patet ex legibus postea additis, ut jam ostendimus.

Tertio posset etiam dici, non esse eandem rationem Testamenti veteris et novi : nam quia lex Testamenti veteris dabatur uni tantum populo, et ad certum tempus, nimirum, usque ad Christi adventum, potuit facile determinare omnia in speciali, ut etiam fecit : nam in speciali præscribit omnia, quæ tam ad cultum Dei, quam ad judicia et forenses contentiones pertinent; et ideo non esset mirum, si prohiberet addi alias leges. At lex Evangelica datur toti Mundo, id est, diversissimarum nationum populis, et duratura est usque ad finem Mundi; et ideo non poterat tam facile determinare omnia in speciali, ut non essent adhuc necessariae leges aliæ, tam civiles, quam Ecclesiasticæ : neque enim possunt diversissimi populi convenire in iisdem legibus et ritibus. Itaque Deus melius esse judicavit, si in Evangelio, quod est commune omnibus, traderet communissimas leges de Sacramentis, atque articulis Fidei, et alia magis specialia pro locorum et temporum diversitate relinqueret instituenta per Apostolos eorumque successores.

Tertium argumentum sumit Calvinus ex Isaia c. XXXIII, ubi legitur : *Dominus Judex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster.* Equivalere autem hæc verba istis : *Dominus solus est Judex, Legifer, et Rex noster*, patet ex epist. Jacobi cap. IV : *Unus est Legislator, et Judex, qui potest perdere et salvare* (1).

Respondeo : Isaiam et Jacobum loqui de Legislatore primario, qui sua propria auctoritate potest judicare, et leges ferre : neque nos talem esse dicimus summum Pontificem, sed solum Christum : Pontificem enim, non Regem, nec Judicem, aut Legislatorem primarium facimus, sed Vicarium Regis, et Judicis, ac Legislatoris Christi, qui possit Christi auctoritate leges condere. Quomodo etiam loquitur B. Cyprianus lib. I, epist. 3. ubi Pontificem dicit esse Judicem loco Christi.

At, inquires : Jacobus dicens : *Unus enim est Legislator, et Judex, qui potest perdere et salvare*, reddit rationem, cur debeant omnes homines servare leges, et non dare; proinde excludit omnes alios Legislatores, qui nimi-

rum velint obligare conscientias, et perdere prævaricatores, et salvare obedientes; sic enim loquitur : *Nobis detrahere alterutrum. Qui enim detrahit fratrem, et judicat fratrem, detrahit legi, et judicat legem*, id est, qui detrahit fratri bonum facienti, et condonanti injurias, detrahit legi, quæ illud bonum præcepit : *Si autem judicas legem, non es factor legis, sed Judex. Unus est enim Legislator, et Judex, qui potest perdere et salvare.* Ubi subintelligitur una propositio post illa verba : *Si autem judicas legem, non es factor legis, sed Judex*, nimirum hæc, debes autem tu, o homo, esse factor legis, non judex; et subjungitur ratio : *Unus est enim Legislator, et Judex.*

Respondeo : Jacobum alloqui omnes homines, quatenus subsunt aliquibus legibus, et velle dicere, nemini licere judicare legem sui superioris, cum unus tantum sit Legislator, et Judex, ita summus et primarius, ut solum leges dare, non autem accipere debeat, et qui sic potest perdere, et salvare, ut ipse neminem timeat, et a nemine aliquid speret. Porro Papa, cæterique Episcopi, etsi judicare et leges ferre possunt, tamen judicandi sunt etiam a Deo, et leges Dei servare debent.

Quartum argumentum sumit Calvinus ex Isaia c. XXIX : *Eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me, et timerunt me mandato hominis et doctrinis, ecce ego addam etc.* (2). Ubi Dominus conqueritur, quod populus Israel timerit se mandato hominum, id est, timorem seu cultum, et religionem Dei constituerint in hominum mandatis servandis. Similia habentur Matt. XIII et Marc. VII.

Respondeo : mandata hominum in Scriptura non vocari quælibet hominum præcepta, sed ea solum, quæ omnino sunt humana, ita ut nec Deo jubente, nec inspirante, nec ejus auctoritate illo modo constituta sint : quæ sunt duplicia; nam quedam sunt contraria divinis mandatis; quedam inutilia prorsus et vana. Id patet ex omnibus locis, ubi nominantur humana præcepta, ut Isaia XXIX, Matth. XV, Marci VII, Coloss. II, I. Timoth. IV, ad Titum I. Porro Dominus ter invenitur Pharisæos reprehendisse propter traditiones humanas. Primo Matth. XV ubi arguit eos, quod servarent mandata hu-

(1) Deut. IV, 2; XII, 32. — (2) Deut. IV, 1; XII, 14. — (3) Esther IX, 20, 21 et 23; I. Mach. IV, 50. — (4) I. Reg. XXX, 25. — (5) Deut. V, 32.

(1) Isaï. XXXIII, 22; Jac. IV, 12 et passim. — (2) Isaï. XXIX, 13.

mana contraria divinæ legi: nam Matt. XV postquam dixerat, Phariseos præcepisse, ut filii darent templo, quod alioqui debitum erat parentibus; subjungit: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram* (1); et mox adducit locum Isaia citatum. Quare S. Irenæus lib. IV, c. 25 et 26, exponens hæc loca Isaia et Matthæi, dicit, intelligenda esse de præceptis Phariseorum pugnantibus cum divinis legibus.

Secundo: reprehendit Marci VII traditiones, seu mandata hominum, id est, quasdam inutiles et frivolæ ceremonias solo spiritu humano adinventas; quas tamen Judæi tanti faciebant, ut anteponerent divinis mandatis. Reliquentes mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, Baptisma urceorum et calicum, et alia similia his factis multa.

Tertio: reprehendit eodem Matth. XXIII quod bonas quasdam leges pluris facerent, quam divinam legem. Ubi non vocat eas leges præcepta hominum, sed dicit, hæc oportuit facere, et illa non omittere: solum enim in eo peccabant circa istas ceremonias tertii generis, quod in eis summam religionis constituerent, cum tamen externæ essent. Isti similes erant cani Æsopico, qui propter umbram panis reliquit panem ipsum, ut pulchre Irenæus ait lib. II, c. 12, de hæreticis Valentinianis, qui maluerunt Angelum quemdam pro Creatore habere, quam Deum.

Porro mandata Pontificia et Ecclesiastica, etsi humana dici possint, quia non sunt immediate a Deo; tamen nec usquam in Scripturis dicuntur mandata hominum, nec reprehendi possunt, cum nec pugnent cum divinis mandatis, nec sint inutilia, neque nos ea anteponi, sed postponi debere dicamus divinis præceptis.

Quintum argumentum sumunt ex verbis Pauli, quibus libere asserunt Christiani a mandatis hominum. II. Cor. III: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*. Ad Galat. IV: *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus non liberavit*. Et ad Galat. V: *State, et nolite iterum iugo servitutis contineri* (2).

Respondeo: libertatem Christianam in tribus consistere. Primo, in liberatione a servitute peccati, de qua Paulus Rom. VI: *Liberati a peccato, servi facti estis justitiæ* (3).

(1) Matth. XV, 6. — (2) II. Cor. III, 17; Galat. IV, 31; V, 1. — (3) Rom. VI, 18. — (4) II. Cor. III, 17; Galat. III, 13. — (5) Act. V; Galat. V, 1. — (6) Hebr. XIII, 17. — (7) I. Petr. II, 13 et 16; II. Petr. II, 19; Galat. V, 13.

Secundo, in liberatione a servitute legis divinæ moralis. Nam lex sine gratia non potest impleri; et tamen minatur poenam, nisi impleatur, atque ideo premit, ac tenet homines tamquam servos: sed gratia Christi liberat nos ab isto timore, et servitute, non quidem eximendo nos ab obligatione implendæ legis, sed inspirando charitatem, per quam facile, et libenter legem impleamus. De qua Apostolus II. Cor. III: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*. Et Galat. III: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum* (4). Unde Augustin. lib. de continent, cap. 3: « Non sumus, inquit, sub lege bonum quidem jubente, non tamen dante, sed sumus sub gratia, quæ id, quod lex jubet, faciens nos amare, potest liberis imperare. »

Tertio, in liberatione de servitute ceremonialium et judicialium præceptorum Moysis, de qua Act. XV: *Quid tentatis imponere jugum super cervices discipulorum etc.* Et Galat. V: *State, et nolite iterum iugo servitutis contineri* (5). Quod autem nimis liberati ab obedientia Prælatorum, nusquam legimus, sed contrarium potius, cum Paulus clamet: *Obedite Præpositis vestris* (6).

Quocirca Petrus et Paulus prævidentes in spiritu hæreticos hujus temporis, qui prætextu libertatis, neque jejunia indicta ab Ecclesia, nec ullam aliam legem ferre possunt; frequentissime inculcare voluerunt, ut obedientiam superioribus etiam Ethnicis exhiberemus. I. Petri II: *Subjuncti estote*, inquit, *omni humane creature propter Deum*. Et infra: *Quasi liberi, non quasi velamen habentes malitiæ libertatem*. Et II. Petri II, de hæreticis inquit: *Libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis*. Et Paulus Gal. V: *Vos in libertatem, inquit, vocati estis, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis* (7).

CAPUT XVIII.

Solvitur argumentum ex comparatione legum.

Sextum argumentum. Si Deus voluit Christianos esse liberos a ceremoniis Judaicis, aliisque positivis legibus Testamenti veteris; ergo etiam a ceremoniis, quas Pontifices introduxerunt, et ab aliis humanis legibus: nam si debuimus habere leges positivas, præstitisset habere divinas, quam humanas. Præterea nihil nobis prodesset, imo potius obesset illa liberatio a legibus Judaicis: nam leges illæ dicuntur *jugum importabile* a B. Petro, Actor. XV tum propter multitudinem, tum propter obligationem ad peccatum; aliqui enim res ipsæ singulæ in se graves non erant, nedum importabiles: at leges positivæ Christianorum sunt decuplo plures, quam essent illæ Judæorum, ut patet conferenti volumina Juris canonici, et tomos Conciliorum, cum Pentateucho Moysis; si ergo istæ omnes leges ad poenam æternam obligant, præstitisset nobis habere legem Moysis.

Et confirmat Calvinus argumentum suum testimonio B. Augustini, qui in epist. 119, cap. 19, de ritibus Ecclesiasticis temere introductis conqueritur, et ait: « Ipsam religionem quam paucissimis et manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei liberam esse voluit, servilibus oneribus premit, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiam si tempus libertatis non agnovissent, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur. » Hæc ille. Subjungit Calvinus lib. IV Instit. cap. 10, §. 13: « Si in sæculum nostrum incidisset sanctus ille vir, quibus querelis deplorasset eam, quæ nunc est, servitutem? Nam et numerus est decuplo major, et singuli apices centuplo rigidius quam tunc exiguntur. Ita fieri solet, ubi semel perversi isti legislatores imperium occuparunt, nullum finem jubendi, et retandi faciunt, donec ad extremum morositatis perveniunt. »

Respondeo: a ceremoniis et judicialibus

præceptis Moysis voluit Christus nos esse liberos, quia ceremoniæ illæ, figuræ erant Testamenti novi, et proinde, re ipsa præsentate, cessare debuissent; judicialia quoque præcepta pertinebant ad politiam populi Dei secundum illum statum, et ideo, statum illo mutato, necesse fuit etiam ipsa præcepta mutari: *Translatio enim Sacerdotio*, inquit Apostolus ad Heb. VII, *necesse est, ut legis translatio fiat* (1). Non autem sequitur, debere nos nullas habere politicas et Ecclesiasticas leges, si illas Moysis habere non debemus.

Ad id, quod objicitur de numero et gravitate legum Pontificiarum, Respondeo: sine comparatione ulla esse pauciores et leviores Pontificias leges illis Mosaicis. Nam leges absolute impositæ omnibus Christianis, vix inveniuntur alia, quam quatuor, nimirum de servandis Festis, et de servandis Jejuniis, de Confessione singulis annis semel faciendâ, et de sacra communione habenda in Paschate. Cæteræ omnes, quibus pleni sunt tomi Conciliorum, et libri Juris canonici, vel non sunt leges, sed admonitiones, vel piæ institutiones sine obligatione ad culpam; quales sunt plurimi ritus Christianorum. Nec enim peccant, qui citra contemptum, vel non recitant Angelicam Salutationem ter in die, vel non sumunt ramum olivæ in die Palmarum, vel non aspergunt se aqua lustrali cum templum ingrediuntur, vel non tundunt pectus tempore sacrificii etc. et tamen his et similibus Ecclesiasticis temere inductis conqueritur, et ait: « Ipsam religionem quam paucissimis et manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei liberam esse voluit, servilibus oneribus premit, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiam si tempus libertatis non agnovissent, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur. » Hæc ille. Subjungit Calvinus lib. IV Instit. cap. 10, §. 13: « Si in sæculum nostrum incidisset sanctus ille vir, quibus querelis deplorasset eam, quæ nunc est, servitutem? Nam et numerus est decuplo major, et singuli apices centuplo rigidius quam tunc exiguntur. Ita fieri solet, ubi semel perversi isti legislatores imperium occuparunt, nullum finem jubendi, et retandi faciunt, donec ad extremum morositatis perveniunt. »

1) Hebr. VII, 12.

salvari, si solum Catechismum parvum verit.

Quod autem attinet ad gravitatem legum, nulla etiam comparatio est inter servitutum Judaicarum, et levitatem Ecclesiasticarum. Nam ex quatuor nostris legibus nulla est, quæ non sit potius determinatio Juris divini, quam nova lex penitus: nam jure divino tenemur aliquod tempus dedicare cultui Dei, et aliquando jejunare, confiteri, et communicare. Itaque Pontifices solum determinaverunt tempora; et proinde si qua est difficultas in his legibus, magis referenda est in jus divinum, quam in jus positivum, et præcipue circa confessionis præceptum, quod habetur omnium durissimum: nec enim Confessio peccatorum dura quibusdam est, quia fieri debet tali tempore, sed quia fieri debet absolute. Neque de hoc dubitari potest.

Deinde determinatio temporis Festorum, et Jejuniarum a Pontificibus facta, mitissimam obligationem habet: nam ad jejunia non obligantur, nisi qui possunt; unde excipiuntur pueri, senes, ægroti etc. Similiter in festis tenemur a servilibus operibus abstinere, et Missam audire, sed cum multis exceptionibus: nam non debent cessare opera necessaria, vel valde utilia humanis corporibus, ut medicorum, pharmacopolarum, coquorum etc. Pari ratione, qui impeditus justa de causa Missæ non interfuit, non judicatur deliquisse. At Judæi adeo severe tenebantur in Sabbatis vacare, ut ne ignem quidem accendere possent, vel cibos coquere: et quidem qui solum ligna collegerat die Sabbati, jussu Domini lapidatus fuit.

Ad Augustinum dico: malitiose Calvinum verbis Augustini voluisse abuti. Ille enim non conqueritur de ritibus a Pontificibus institutis, sed de quibusdam consuetudinibus particularibus vulgi, et hominum rudium, quæ paulatim obtinent vim legis, quæ quando nimium crescent, debent Episcoporum auctoritate tolli et abrogari: « Omnia, inquit, talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, neque in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, neque consuetudine universæ Ecclesiæ corroborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino nunquam inveniri possint causæ, quas in eis insituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. Quamvis

enim neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem quam paucissimis etc. » ut supra.

Itaque vides, Augustinum omnino servari velle eas leges, quas Episcopi in Conciliis statuerunt, vel universæ Ecclesiæ consuetudo roboravit: ejusmodi autem sunt omnes illæ, quas nos Ecclesiasticas leges appellamus; nec enim in tomis Conciliorum, vel in voluminibus Juris canonici servarentur, si non ab Episcopis, sed a privatis nescio quibus hominibus latæ fuissent.

CAPUT XIX.

Solvitur argumentum ductum ab exemplis.

Septimum argumentum sumit Calvinus a tribus exemplis, quæ habentur in Scriptura. Nam IV. Reg. XVI refertur factum Achaz Regis, et Uria Pontificis, qui addiderunt Templo unum aliud altare: quod etsi videbatur ex se facere ad ornatum Templi; tamen quia Deus hoc non jusserat, tanquam humanum inventum reprobat. Deinde, cap. XVII, refertur de iis, quos transtulit Rex Assyriorum de Babylone in Samariam, quod immissis a Deo leonibus puniti fuerint, quia coluerint Deum novis cæremoniis, quas Deus non præceperat. Denique IV. Reg. XXI refertur de Manasse Rege, quod in eo præcipue peccaverit, quod in Templo extruxit aras, quas nimirum Dominus non præceperat.

Respondeo: admirabilem plane esse impudentiam Calvini, qui Achaz, et Manassem, et Babylonios docet in eo peccasse, quod cæremonias instituerint a Deo non præceptas, cum Scriptura clarissime dicat, istos omnes peccasse peccato idololatriæ. Nam Achaz reprehenditur, non quod altare novum erexit in Templo, sed quod altare erexit ad similitudinem altaris idoli, quod erat in Damasco, et quod altare Domini amoverit a loco suo, et noluerit sacrificia offerri in altari Domini, sed solum in altari illo novo, et idolo consecrato. Manasses quoque non arguitur, quod aras in Templo extruxerit, sed quod extruxerit eas universæ militiæ coeli, id est, in honorem omnium side-

rum, et quod in templum Domini traduxerit idolum, quod antea in loco manebat.

Quod enim non fuisset malum erigere in Templo aliud altare, etiamsi Dominus hoc non imperasset, patet ex III. Reg. VIII, ubi legimus, Salomonem, cum vidisset altare Domini æneum non capere omnia holocausta, quæ offerrebantur, sanctificasse alium locum in Templo, et ibi obtulisse etiam holocausta: hoc enim Salomonis factum Deus nec imperavit, nec improbavit. Nisi potius approbasse dicens sit, cum seq. cap. Salomoni per quietem apparuerit, eumque laudaverit, ac multa illi bona promiserit.

Porro Babylonios illos, qui habitabant in regione Samariæ, constat idolatras fuisse; sic enim Scriptura loquitur lib. IV Reg. cap. XVII: *Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum, et immisit in eos Dominus leones, qui interfeciebant eos.* Et infra: *Unaquoque gens fabricata est Deum suum, posueruntque eos in fanis excelis.* Et infra: *Et cum Dominum colerent, Diis quoque suis serviebant, juxta consuetudinem Gentium, de quibus translati fuerant Samariam (1).* Hoc igitur peccatum Scriptura reprehendit, non autem quod Deum novis cæremoniis colerent.

CAPUT XX.

Solvuntur argumenta duo desumpta ex ratione conscientiæ.

Argumentum octavum Calvinus est, Paulus nullo modo permittit, fideles conscientias in hominum servitatem redigi; ait enim I. Cor. VII: *Prelio empti estis, nolite fieri servi hominum.* Ubi Paulus non præcipit, ne servi obediant dominis suis in rebus exterioribus; nam ad Ephes. VI ait: *Servi obedite dominis carnalibus cum timore et tremore.* Neque præcipit, ne qui sunt liberi, servi efficiantur; nam in eodem cap. I. ad Cor. VII ait: *Servus vocatus es, non sit tibi curæ, sed etsi potes fieri liber, magis utere (2).* id est, etiamsi possis liberari, melius tibi est, ut servias, et utaris conditione servili, ad conservandam humilitatem. Igitur superest, ut prohibeat

servire hominibus cum timore peccati, et anxietate conscientiæ, quomodo soli Deo serviendum est.

Respondeo: Paulum eo loco solum præcipere, ne serviamus hominibus præcipue propter homines, sed propter Deum, ita ut magis Deo in hominibus, quam ipsis hominibus serviamus. Ita enim seipsum Paulus explicuit Ephes. VI: *Servi, inquit, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino, et non hominibus (3).* Illo ergo fiant servi hominum (quod Apostolus prohibet) qui homines præcipue respiciunt, et ideo serviunt, etiamsi peccata præcipiant, et adulantur eis, etiam quando male agunt. Vide Chrysostomum in I. Cor. VII, et Hieronymum in cap. VI ad Ephes.

Nonum argumentum Calvinus. Conscientia ad forum solius Dei pertinet: ipse enim est, qui scrutatur renes et corda; non igitur possunt homines obligare in conscientia. Confirmo hoc argumentum. Non potest homo damnare ullum ad inferos; non igitur potest obligare ad legem servandam sub pena mortis æternæ: ridiculum enim esset, si quis obligaret ad penam, quam postea non posset infligere.

Respondeo: duobus modis intelligi posse, conscientiam ad forum solius Dei pertinere. Uno modo, quia solus Deus potest videre hominum conscientias, et judicare de actibus internis, qui exterior non patent, nec habent alios testes, quam Deum et conscientiam operantis; et hoc modo verissimum est, conscientiam ad solius Dei forum pertinere. Alio modo potest intelligi, conscientiam ad solius Dei forum pertinere, quia videlicet solus Deus possit legibus suis ita ligare hominem, ut si non faciat quod præceptum est, judicet ipsemet in conscientia sua se male facere; et hoc modo falsum est, conscientiam non pertinere ad forum hominum. Nam, ut quis hoc modo obliget alium in conscientia, non requiritur, ut possit videre ejus conscientiam, nec ut scrutetur renes et corda, nec ut judicet de actibus internis, sed satis est, ut possit illi legitime imperare, et imperando ita illum obligare ad opus ex-

(1) IV. Reg. XVII, 25, 29 et 33. — (2) I. Cor. VII, 23; Eph. VI, 5; I. Cor. VII, 21. — (3) Eph. VI, 5, 6 et 7.

ternum faciendum, ut si non faciat, intelligat, vel certe intelligere possit se male agere.

Itaque Joannes Calvinus lib. IV Instit. c. 10. §. 5. æquivocatione decipitur, aut decipere alios cupit, cum ita loquitur: « Neque enim cum hominibus, sed cum nro Deo negotium est conscientis nostris; quo pertinet illud vulgare discrimen inter terrenum, et conscientis forum. Cum totus orbis densissima ignorantis caligine obvolutus esset, hæc tamen exigua lucis scintilla residua mansit, ut humanis omnibus judiciis superiores esse hominis conscientiam agnoscerent; quamquam quod uno verbo fatebantur, postea reipsa labefactabant: voluit tamen Deus testimonium aliquod Christianæ libertatis tunc exstare, quod ab hominum tyrannide conscientis eximeret. » Hæc ille.

At cum dicimus, conscientiam esse superiores omnibus humanis judiciis; nihil aliud dicere volumus, quam eum, qui sibi bene conscius est, non debere metuere ne a Deo damnatur, etiamsi omnes homines, qui cor non vident, secus forte de ejus rebus gestis judicent. Sed quorsum hæc? an propterea non peccabit, conscientia sua testimonio, qui leges Ecclesiasticas violaverit?

Ad confirmationem respondeo: legem humanam non obligare sub pœna mortis æternæ, nisi quatenus violatione legis humanæ offenditur Deus, cujus ministri sunt omnes Principes, non solum Ecclesiastici, sed etiam politici; ut enim qui transgreditur leges Proregis, consequenter offendit Regem, et puniri potest a Rege, etiam ea pœna, quam Prorex infligere fortasse non potuisset: sic etiam, qui leges justas Principum non servant, qui quidem Principes ministri Dei sunt, Sap. VI, Rom XIII, I. Cor. IV, etiam Deum offendunt, et ab eo puniuntur pœna æternæ mortis. Itaque si fingamus, Deum non esse in rerum natura; qui leges justas violabunt, peccabunt quidem in conscientia, sed nec Deum offendent, nec ad inferos damnabuntur.

Dices. Si ita est; sequitur, legem humanam ut humanam non ita obligare, ut transgressores dicantur peccare mortaliter. Respondeo: si legem humanam ut humanam intelligas eam, quæ proprie non est divina; nego, transgressorem legis humanæ non peccare mortaliter: si vero legem humanam ut humanam intelligas eam, quam fert homo auctoritate, non a Deo accepta,

sed propria, vel ab hominibus solis collata; fateor, talis legis transgressores non peccare mortaliter. Cæterum ejusmodi lex nulla est: omnis enim vera potestas a Deo est, Rom. XIII, et sine vera potestate nulla vera lex condi potest.

CAPUT XXI.

Solvuntur argumenta ex Patribus.

Decimum argumentum sumitur ex aliquot Patrum testimoniis, quæ aliorum nomine retulit Joannes de Turrecremata, lib. II, cap. 45. Primum est Origenis, tract. 12. in Matt. ubi explicans illud Matth. XX, Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic: « Sicut, inquit, omnia carnalia in necessitate sunt posita, non in voluntate, spiritualia autem in voluntate, non in necessitate, sic et principes spirituales. Principatus eorum in dilectione subjectorum debet esse positus, non in timore corporali. »

Respondeo: Origenem non excludere a Principe Ecclesiastico coactivam potestatem, sed tantum monere ejusmodi Principes officii sui. Hoc enim interest inter Principem sæcularem et Ecclesiasticum, quod Princeps sæcularis habet pro fine temporalem et externam pacem Reipublicæ, et ideo finem suum adeptus est, quando subditi quieti vivunt, sive id faciant volentes, sive inviti: at Princeps spiritualis habet pro fine vitam æternam, et pacem tam externam, quam internam suorum subditorum; et propterea debet omnino procurare, ut subditi amore potius ducantur, quam timore, quamquam ubi non potest impetrare, ut libenter et ex amore bene vivant, debet etiam vim coactivam adhibere, ut saltem timore pœna non perturbent externam Ecclesiæ pacem. Unde Gregorius lib. XX Moral. cap. 6.: « Circa subditos inesse debet rectoribus et juste consolans misericordia, et pie sæviens disciplina etc. »

Secundum est Chrysostomi lib. II de sacerdot. ante med. ubi comparat Pontificem cum pastore ovium irrationalium, et ait: « Neque enim homini licet tanta cum auctoritate homines curare, cum quanta oves pastor curat. Hic enim liberum est vincire, et a

pabulo arcere et urere, et secare: cum illico medicinæ, ac curationis suscipiende facultas posita minime sit in illo, qui medicinam adhibet, sed in eo tantum qui laborat etc. » Deinde, confert eundem Pontificem cum sæculari Magistratu; et sic ait: « Christianis minime omnium licet peccantium lapsus vi corrigere. Exteri quidem judices cum facinorosos homines leges transgressos fuisse deprehenderint, magna se peditos auctoritate ac potestate ostendunt, eosdemque vel invitos, suos ipsorum mores mutare cogunt: hic vero non vim adferre, sed suadere tantum oportet, atque hac ratione meliorem efficere, quem emendandum susceperis. Neque enim nobis facultas tanta a legibus data ad delinquentes coercendos: ac ne si dedissent quidem, habefemus ubi vim hujusmodi, potentiamque exercere possemus, cum Christus eos æterna corona donet, non qui coacti: sed qui certo animi proposito a peccato abstinent. »

Respondet Joannes de Turrecremata: Chrysostomum loqui de iis, qui foris sunt, id est, de Ethnicis, quos Ecclesia non potest cogere ad Fidem. At nimis aperte Chrysostomus loquitur de ovibus, quæ intus sunt, et quæ Episcopo commissæ sunt. Dicendum igitur est, Chrysostomum nunquam negare voluisse coactivam Pontificum potestatem, cum ipse eam ubique diserte asserat. Nam homil. 70. ad populum prohibet, ne Christiani sibi subjecti vocent mulierem ad funera deploranda, et ait: « Ne cogam eas vera, et propria mala deslere. » Et infra: « Si vero, inquit, quod absit, contempti fuerimus, minas ad rem deducere cogemur, vos quidem Ecclesiasticis castigantes legibus, illas vero sicut eis conveniet. » Et infra: « Nec ullus Ecclesiastica despiciat vincula. Non enim qui ligat est homo, sed Christus, qui nobis hanc contulit potestatem, et tanti dominos honoris constituuit. » Et in epist. 1. ad Innocent. Papam rogat eum, ut Theophilum Episcopum Alexandrinum, et alios, per quos a sede sua injuste expulsus fuerat, Ecclesiasticis legibus coerceat. Et hom. 83. in Matth.

alloquens Diaconum: « Si, inquit, Dux quispiam, si Consul, si ipse denique, qui diademate ornatur, indignè adeat, cohibe, et coerce. Majorem tu illo habes potestatem, quod si ipse pellere non audes, mihi dicas, non permittam ista fieri. » Habemus igitur, Chrysostomum sensisse, posse Prælatos Ecclesiæ vincire oves suas, et pellere de Eccl-

sia, et severe punire, quæ antea videbatur negasse.

Ad illa igitur verba respondeo dupliciter. Primo, inter pastorem ovium irrationalium, et rationalium hoc discrimen a Chrysostomo poni, quod ille, cum versetur circa morbos ovium naturales, potest sanare oves suas etiamsi illæ nolint: at iste, quia versatur circa morbos ovium voluntarios, non potest curare oves, nisi ipsæ velint, et ideo difficilius est hujus, quam illius provincia. Et similiter dico de potestate sæculari. Judex enim sæcularis versatur circa externas actiones; et ideo potest invitum hominem cogere, ut mutet mores, nimirum, externos: at Episcopus versatur circa mores internos, qui non possunt mutari invito eo, qui illos habet; nam etsi potest Episcopus excommunicare, aliasque pœnas infligere, tamen nihil ista proderunt, nisi velit is qui punitur. Et sic intelligi illa verba: « Neque enim nobis facultas tanta a legibus data ad delinquentes coercendos; non enim habet Episcopus facultatem cogendi hominem, ut mutet externos mores. Secundo dici potest: Chrysostomum hoc loco solum agere de potestate sacerdotali in foro conscientis; ibi enim non possumus corrigere penitentem, nisi ipse velit: summum enim quod possumus est, dimittere illum sine absolutione.

Tertium testimonium est S. Augustini lib. XXII cont. Faust. c. 27. ubi sic definit peccatum: « Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam Dei. » Hinc enim deducitur, transgressionem legis humanæ non esse peccatum. Similis etiam est definitio Ambrosii lib. de Paradiso, c. 8: « Peccatum, inquit, est pravaricatio legis divinæ. » Respondeo: omne peccatum esse contra legem Dei, non positivam, sed æternam, ut Augustinus recte docet: omnis enim justa lex, sive a Deo, sive ab homine detur, ab æterna Dei lege derivatur; est enim æterna lex, ut malum sit violare regulam.

Quartum testimonium est B. Bernardi lib. I de Considerat.: « Non monstrabunt, inquit, puto qui hoc dicent, ubi aliquando quispiam Apostolorum judex sederit hominum. Stelisse lego Apostolos judicandos; Sedisse judicantes non lego. » Respondeo: loquitur B. Bernardus de judicio in causis civilibus; nam aliqui ibidem sic ait: « Quidni, inquit, contemnant judicare de terrenis

possessunculis hominum, qui in celestibus et Angelos iudicabunt. Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra. Quoniam propter illa, et non propter has accepistis claves regni cœlorum. » Adde, quod Bernardus non tam disputat an liceat, quam an conveniat Pontifici de terrenis litibus iudicare.

CAPUT XXII.

Proponitur questio postrema: An Christus jurisdictionem Ecclesiasticam soli Pontifici summo immediate contulerit.

Restat postrema questio de derivatione potestatis Ecclesiasticæ a Pontifice summo ad Episcopos cæteros. Sciendum est, triplicem esse in Pontifice, aliisque Episcopis potestatem: unam Ordinis; alteram jurisdictionis interioris; tertiam jurisdictionis exterioris: quarum prima refertur ad Sacramenta conficienda, et ministranda; altera ad populum Christianum regendum in foro interiori conscientiæ; tertia ad eundem populum regendum in foro exteriori.

De prima et secunda non est questio nostra, sed solum de tertia: nam de prima certum est apud omnes, illam æque immediate habere a Deo Episcopos, ac ipsum summum Pontificem; confertur enim per quamdam consecrationem, quæ æque operatur in uno atque in alio. Vide de hac potestate Joannem de Turrecremata lib. I, cap. 73. De secunda est quidem aliqua dissensio inter Auctores, nam Abulensis in libro, quem appellat Defensorium, par. II, cap. 63. existimat, hanc potestatem conferri omnibus sacerdotibus immediate a Deo, quando ordinantur. Quod autem nihilominus non possit quilibet sacerdos quoslibet Christianos absolvere, vel ligare, id factum esse, quia Ecclesia ad tollendam confusionem, divisit Dioceses, et unum populum uni Episcopo subiecit, alium alii. At Joannes de Turrecremata lib. I Summæ, cap. 96. docet, hanc potestatem non conferri a Deo ex vi ordinationis, sed ab homine per simplicem injunctionem. Ambo tamen in eo conveniunt, quod usus hujus potestatis

(1) Eph. IV, 11.

pendeat a jurisdictione exteriori, et ideo satis erit de illa exteriori agere.

Solum igitur de tertia agendum est, de qua etiam egimus in quæstionibus superioribus. Et quidem omnes in eo conveniunt, jurisdictionem Episcoporum saltem in genere esse de jure divino: nam Christus ipse ita ordinavit Ecclesiam, ut in ea sint Pastores, Doctores etc. Sic enim Apostolus loquitur ad Ephes. IV: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios Pastores et Doctores* (4). Et præterea, nisi ita esset, posset Pontifex mutare hunc ordinem, et instituire, ne ullus sit in Ecclesia Episcopus, quod sine dubio non potest facere. At questio est, an Episcopi canonice electi accipiant a Deo suam jurisdictionem, sicut eam accipit summus Pontifex: an vero a Pontifice. Sunt autem tres de hac re Theologorum sententiæ.

Prima eorum, qui volunt, tam Apostolos, quam cæteros Episcopos immediate a Deo accepisse et accipere jurisdictionem. Ita docet Franciscus Victoria in relect. II de potest. Eccles. quæst. 2. et Alphonsus a Castro l. II, cap. 24. de justa hæreticor. puni. Altera est eorum, qui volunt, Apostolos non a Christo sed a Petro, et Episcopos non a Christo sed a Petri successore accepisse, vel accipere jurisdictionem. Ita Joannes de Turrecremata lib. II, cap. 54 Summæ de Ecclesia, et Dominicus Jacobatus lib. X de Concil. art. 7. Tertia est media eorum, qui volunt, Apostolos quidem accepisse a Christo immediate omnem suam auctoritatem, tamen Episcopos non a Christo sed a summo Pontifice eam accipere. Ita Cajetanus in tract. de auctorit. Papæ, et Concil. cap. 3. Dominicus a Soto in IV, dist. 20, quæst. 1, art. 2. Franciscus Vargas in libello de hac ipsa quæstione, Hervæus in lib. de potest. Papæ, et Gabriel in canonem Missæ, lect. 3. et eadem videtur sententia veterum Scholasticorum, B. Bonaventuræ, Alberti, Durandi, atque aliorum in IV, dist. 18 aut 20 aut 24. quæ sententia verissima est; et ideo breviter confirmanda.

CAPUT XXIII.

Apostolos a Christo jurisdictionem omnem accepisse.

Quod igitur Apostoli acceperint a Christo immediate suam jurisdictionem, Primum testantur verba Domini, Joann. XX: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (1). Quem locum sic exponunt Patres, Chrysostomus et Theophylactus, ut aperte dicant, factos esse his verbis Apostolos Christi Vicarios, imo ipsum Christi officium et auctoritatem accepisse.

Addit Cyrillus in hunc locum, his verbis proprie Apostolos creatos esse Apostolos, et Orbis totius Doctores, et ut intelligeremus, in Apostolica auctoritate contineri omnem potestatem Ecclesiasticam; ideo adjecisse Christum: *Sicut misit me Pater*; siquidem Pater Filium misit summa potestate præditum. Cyprianus lib. de unit. Eccles.: « Loquitur, inquit, Dominus ad Petrum: Tibi dabo claves regni cœlorum: et eidem post resurrectionem suam dicit: *Pasce oves meas*. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*; tamen, ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit etc. » Ubi vides, idem dari Apostolis per illa verba: *Ego mitto vos*, quod Petro fuerat promissum per illud: *Tibi dabo claves*; et postea exhibitum per illud: *Pasce oves meas*. Constat autem per illa *tibi dabo claves*, et per illud *pasce oves* intelligi jurisdictionem plenissimam, etiam exteriori. Quomodo autem hæc non impediatur Petri Primatum, alibi satis ostendimus.

Secundo, idem ostendit electio Matthiæ in Apostolatam. Nam Act. I. legimus, Matthiam Apostolum non fuisse ab Apostolis electum, nec datam ei ullam auctoritatem, sed implorata divinitus et impetrata electione ejus, mox inter Apostolos annumeratum. Certe si Apostoli omnes a Petro habuerint jurisdictionem, in Matthia maxime id ostendit debuisset.

(1) Joan. XX, 21. — (2) Galat. I, 1, 15 et seq.; II, 6. — (3) Luc. VI, 13; Joan. VI, 71. — (4) Eph. IV, 11.

Tertio, probatur ex Paulo, qui ex professo docet, se auctoritatem ac jurisdictionem habuisse a Christo, et inde probat se verum esse Apostolum. Nam Galat. I ait: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem*. Et ibidem ut ostenderet, se non accepisse auctoritatem a Petro, vel aliis Apostolis, ait: *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, continuo non acquievi carni, et sanguini, neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damasum: deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum etc.* Et cap II: *Mihi enim, qui videbantur esse aliqui, nihil contulerunt* (2).

Quarto, probatur evidenti ratione. Nam Apostoli a solo Christo facti sunt, ut patet Luc. VI: *Vocavit discipulos suos et elegit duodecim ex ipsis quos et Apostolos nominavit*. Et Joan. VI: *Nonne ego vos duodecim elegi?* (3) Quod autem Apostoli habuerint jurisdictionem, patet tum ex gestis Pauli, qui I. Cor. V excommunicat, et I. Cor. VI, VII, XI, XIV et alibi passim, leges constituit, tum quia Apostolica dignitas est prima et suprema dignitas in Ecclesia, ut patet I. Cor. XII et Ephes. IV: *Et quosdam quidem posuit in Ecclesia, primum Apostolos, deinde Prophetas etc.* (4). Vide B. Thomam in cap. VII, 1. ad Cor. Quod autem ante Christi passionem Apostoli essent, nec tamen adhuc essent Episcopi, vel Sacerdotes, nec ullam haberent jurisdictionem; non est mirum: Dominus enim variis temporibus varias contulit Apostolis potestates; et præcipue Joann. XX absolvit, quod ante passionem inchoaverat.

CAPUT XXVI.

Episcopos omnes a Papa jurisdictionem accipere.

Quod vero omnis ordinaria jurisdictione Episcoporum a Papa immediate descendat, probatur, Primo ex figura Testamenti vete-

ris. Nam Num. XI legimus, quod cum Moses non posset solus regere totum populum, Deus jussit adesse septuaginta seniores, et auferens de spiritu Mosis, dedit illis, ut una cum Mose populum regerent. Ubi notandum cum Augustino quaest. 18. in lib. Num. istam ablationem spiritus a Mose non significare diminutionem spiritus in Mose, quia tunc nihil profuisset Mose habere adjuutores, si propterea ipse debilius factus esset, sed derivationem virtutis seniorum a Mosis virtute: voluit enim Deus ostendere, in Mose reside-re totam auctoritatem, alios autem si quam habent, a Mose habere. Constat autem Pontificem in Ecclesia eum locum habere, quem habuit Moses in populo Iudeorum.

Secundo, regimen Ecclesiasticum est monarchicum, ut supra ostendimus; ergo omnis auctoritas est in uno, et ab illo in alios derivatur; sic enim se habent omnes Monarchiae. Respondent, regimen Ecclesiasticum est Monarchicum, sed temperatum ex Aristocratia; et ideo praeter Monarcham, esse etiam alios Praefectos inferiores, qui non sint Vicarii summi Monarchae, sed absolute Principes: essent autem Vicarii, si ab illo acciperent auctoritatem.

At contra: nam Aristocratia Ecclesiae requirit quidem ut Episcopi sint Principes, et non simplices Vicarii, sed non requirit, ut isti Principes instituantur a Deo, et non a Pontifice, sed solum ut Pontifex cogatur divina lege in variis Ecclesiae partibus diversos Principes Ecclesiasticos constituere: quo modo si alicubi Rex teneretur in singulis provinciis non constituere Praefectos, aut Praesides, sed veros Duces ac Principes, qui provinciam, ut suam regerent, cum dependentia tamen ad Regem.

Tertio, probatur ex illis quatuor similitudinibus, quibus utitur Cyprianus lib. de unit. Eccles. ubi sedem Petri comparat capiti, radici, fonti, soli. Nam in omni corpore virtus membrorum derivatur a capite, in omni arbore virtus ramorum oritur ex radice, in omnibus rivis aqua fluit ex fonte, omnium denique radiorum solarium lux est a sole.

Quarto, probatur, ex inaequalitate jurisdictionum. Nam si Deus immediate conferret Episcopis jurisdictionem, omnes Episcopi haberent aequalem jurisdictionem, sicut habent aequaliter Ordinis potestatem: Deus enim non determinavit unquam Episcoporum jurisdictionem; at modo unus Episcopus habet unum oppidum, alius cen-

tum oppida, alius multas provincias; non igitur a Deo, sed ab homine datur ejusmodi jurisdictio: idcirco enim ille magnum, iste parvum populum regit, qui ita placuit ei, qui jurisdictionem dedit, id est. Principi totius Ecclesiae.

Quinto, si haberent Episcopi a Deo suam jurisdictionem, non posset Pontifex illam auferre, aut mutare; non enim potest Pontifex aliquid agere contra Dei ordinationem: at certum est Pontificem id posse facere, et saepe fecisse. Unde B. Bernardus in epist. 131. ad Mediolanen. «Potest, inquit, Romana Ecclesia novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerunt: potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de Episcopo Archiepiscopos creare liceat, et e converso si necesse visum fuerit.»

Respondent: Episcopos habere jurisdictionem a Deo, sed tamen sub Pontifice; et ideo licere Pontifici illam tollere, vel mutare.

At contra: nam Apostoli habuerunt potestatem sub Petro, et tamen quibus eam habuerunt immediate a Christo, non poterat Petrus eam auferre, vel imminuere. Praeterea Ordinis potestatem habent omnes Presbyteri sub Pontifice, et tamen quia eam habent a Deo, non potest Pontifex eam ita tollere, ut ii, si velint, non possint ea uti: nam Presbyter etiam si Pontifex illum excommunicat, suspendat, interdicat, degradet; tamen si velit, vere consecrabit. Denique in qualibet urbe Clerus et populus subjectus est Episcopo; et tamen si quis de Clero vel populo habet immediate a Pontifice summo aliquam auctoritatem, non potest Episcopus illam tollere vel imminuere. Eodem igitur modo si haberent Episcopi a Christo auctoritatem suam, non posset Christi Vicarius eam tollere et minuire; vel dicant adversarii, ubi Dominus ita subjecerit Episcopos Pontifici, ut voluerit etiam illa posse mutari, quae ipsemet eis contulerit.

Respondent: posse saltem Pontificem auferre materiam subjectam Episcopo, id est, populum ejus alteri subicere, et ea ratione non proprie illi auferre jurisdictionem a Deo datam, sed efficere indirecte, ut illam perdat. At cum potestas jurisdictionis relationem significet Praelati ad subditum: ex relativity autem unoposito, vel sublato, et alterum ponatur, vel tollatur; si non potest Episcopus auferri jurisdictio, non potest fieri,

CAPUT XXV.

Solvuntur argumenta adversariorum.

At contra obijciunt primo: nostram sententiam seipsam destruere. Nam Episcopi Apostolis succedunt, ut Pontifex Romanus Petro; ergo si Apostoli habent a Christo jurisdictionem, ut asserit nostra Conclusio prima, sequitur, etiam Episcopos habere a Christo, quod tamen negat secunda Conclusio. Et e contrario, si Episcopi habent a Pontifice jurisdictionem, ut asserit secunda Conclusio; ergo Apostoli habent a Petro, quod tamen negat prima Conclusio. Nam successor ab eo habet suam jurisdictionem, a quo habuit praedecessor, alioqui non vere succedit, sed instituitur alio ordine: succedere autem Episcopos Apostolis docet Augustinus in Psal. XLIV exponens enim illud: *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii* (1): «Patres, inquit, missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt, constituti sunt Episcopi.» Hinc etiam Concilium Florentinum in instr. Armenor. et Concil. Trident. sess. XXIII, cap. 4. Episcopos in locum Apostolorum successisse docent.

Respondet: magnum esse discrimen inter successionem Petri et aliorum Apostolorum. Nam Romanus Pontifex proprie succedit Petro, non ut Apostolo, sed ut Pastori ordinario totius Ecclesiae; et ideo ab illo habet Romanus Pontifex jurisdictionem, a quo habuit Petrus: at Episcopi non succedunt proprie Apostolis, quoniam Apostoli non fuerunt ordinarii, sed extraordinarii et quasi delegati Pastores, quolibet non succedunt.

Dicuntur tamen Episcopi succedere Apostolis, non proprie eo modo, quo unus Episcopus alteri, et unus Rex alteri, sed duplici alia ratione. Primo, ratione Ordinis sacri Episcopalis. Secundo, per quamdam similitudinem et proportionem: quia nimirum sicut Christo in terris vivente, primi sub Christo erant Apostoli duodecim, deinde 72 discipuli; ita nunc primi sub Romano Pontifice sunt Episcopi, post eos Presbyteri, inde Diaconi etc.

ut populus non sit ei subjectus. Denique mirum omnino esset, si divina providentia, quae suaviter cuncta disponit, nolisset per eum jurisdictionem dari, per quem augeri, minui, atque adeo penitus tolli posse voluisset.

Sexto, si jure divino Episcopi habent suam jurisdictionem, ostendere debent aliquid verbum Dei, in quo haec eorum jurisdictio fundetur: at nihil adferunt, nec adferre possunt adversarii, nisi verba Domini dicta ad Apostolos; illis autem verbis datur Apostolis amplissima jurisdictio in Ecclesia universam, quam certe non concedunt Episcopis adversarii. Viderint igitur, quo firmamento sententiam suam defendant.

Septimo, accedant gravissima testimonia duorum veterum sanctissimorumque Pontificum. Innocentius I, in epist. ad Concil. Carthag. quae est 91. inter epistolas Augustini: «A Petro, inquit, ipse Episcopatus, et tota auctoritas hujus nominis emersit.» Et in ep. ad Conc. Milevit. quae est 93. inter ep. Augustini: «Arbitror, inquit, omnes fratres et Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris auctorem deferre debere.» Leo serm. 3. de assumpt. sua ad Pontificat.: «Si quid, inquit, commune cum eo aliis voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit.» Et epist. 89.: «Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.»

Neque obstat, quod Apostoli non acceperint a Petro jurisdictionem: nam hic Leo loquitur de modo ordinario, quo Deus Ecclesiae Principibus, id est, Episcopis confert dona sua, ac dicit, conferri ordinare per Petrum: Apostoli autem extraordinario privilegio a Christo acceperunt suam jurisdictionem.

Accedant ultimo verba Pontificis, quibus utitur in creandis Episcopis; sic enim ait: «Providemus Ecclesiae tali de tali persona, et praeficimus eum in Patrem et Pastorem, ac Episcopum ejusdem Ecclesiae, committentes ei administrationem in temporalibus, et spiritualibus, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen.»

(1) Psal. XLIV, 17.

Ita vero succedere, et non aliter Episcopos Apostolis, probatur; nam nullam habent partem vere Apostolicæ auctoritatis. Apostoli poterant in toto terrarum Orbe predicare, et fundare Ecclesias, ut patet Matth. ult. et Marci ult. hoc non possunt Episcopi. Item Apostoli poterant scribere libros canonicos, ut omnes fatentur; hoc non possunt Episcopi. Apostoli habuerunt donum linguarum et miraculorum; non habent Episcopi. Apostoli in totam Ecclesiam habuerunt jurisdictionem; non habent Episcopi. Præterea non succeditur proprie nisi præcedenti: at simul fuerunt in Ecclesia Apostoli et Episcopi, ut patet de Timotheo, Tito, Evodio, aliisque permultis; si igitur Episcopi Apostolis succedunt, cui Apostolo successit Titus? cui Timotheus?

Denique eodem modo succedunt Episcopi Apostolis, quo Presbyteri discipulis 72, ut patet ex Anacleto epist. 3. et ex Beda in cap. X Luc. at constat, Presbyteros non succedere proprie discipulis 72, sed solum per similitudinem; nam discipuli illi 72 non fuerunt Presbyteri, nec ullum ordinem, aut jurisdictionem a Christo susceperunt. Siquidem Philippus et Stephanus, et alii quinque Diaconi ordinati ab Apostolis, Act. VI erant ex discipulis 72, ut Epiphanius docet hæres. 20. quæ est Herodianorum: certe autem non fuissent Diaconi ordinati, si jam antea fuissent Presbyteri.

Secundo obijciunt illud Act. XX: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Item Ephes. IV: *Ipsæ dedit quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores et Doctores* (1). Ubi nomine Pastorum et Doctorum intelliguntur Episcopi, ut eo loco exponit Hieronymus. Et confirmatur ex Patribus, nam Dionysius lib. de Eccles. hierarch. cap. 6. dicit, Episcoporum hierarchiam immediate terminari in Jesum, sicut inferiores ordines Presbyterorum, Diaconorum et aliorum terminantur in Episcopum. Cyprianus lib. III. epist. 9. ad Rogatian. dicit, Episcopos a Christo fieri, a quo Apostoli creati sunt: Diaconos autem ab Apostolis, non a Christo institutos. Bernardus lib. III de Considerat.: « Erras, inquit, si ut summam, ita et solam institutam a Deo æstimas vestram Apostolicam potestatem etc. »

Respondeo ad primum locum: dici Epis-

copos constitutos a Spiritu sancto non immediate, sed mediate; quia Apostoli inspirante Deo, et virtute accepta a Spiritu sancto illos Episcopos constituerunt. Quomodo etiam Act. XV dicunt: *Visum est Spiritui sancto et nobis*, et tamen de lege humana loquuntur; et Rom. XIII: *Non est potestas nisi a Deo* (2); nimirum mediate vel immediate.

Ad secundum dico: ibi exprimi generalem Ecclesiæ Ordinem, qui sine dubio de jure divino est: Deus enim est qui instituit, ut in Ecclesia essent Apostoli, Prophetæ, Pastores et Doctores, etsi non omnibus immediate auctoritatem ipse dederit.

Ad tertium dico: Dionysium loqui de Ordine Episcoporum, non de jurisdictione.

Ad quartum dico: Cyprianum velle, Ordinem Episcoporum ab ipso Christo institutum esse; proinde jure divino in Ecclesiam introductum: Ordinem vero Diaconorum ab Apostolis primum excogitatum fuisse. Cujus sententiæ partem posteriorem schola Theologorum communiter rejicit, sed sive sit vera, sive falsa, nihil facit ad propositum nostrum.

Ad quintum dico: Bernardum loqui eo modo, quo loquitur Paulus Rom. XIII, cum ait: *Non est potestas nisi a Deo.*

Tertio obijciunt: si Episcopi a Pontifice habent jurisdictionem; ergo mortuo Pontifice cessat Episcoporum auctoritas, sicut præciso capite moriuntur omnia membra. Respondeo: magnum esse discrimen inter caput naturale et caput mysticum: siquidem membra corporis naturalis conservari non possunt, nisi continuum influxum a capite recipiant; membra vero capitis mystici, præsertim ministerialis et externi, pendent quidem a capite ut fiant, non tamen ut conserventur. Itaque Episcopalis jurisdictio semel collata, non amittitur moriente qui dedit, sed moriente qui accepit, aut auferente qui potest auferre.

Quarto obijciunt: ad ordinem Episcopatus exercendum necessaria est jurisdictio: ergo Deus qui confert ordinem, confert etiam jurisdictionem. Respondeo: utrumque a Deo conferri, sed unum immediate, alterum mediate; quia unum, id est, potestas Ordinis requirit characterem et gratiam, quam solus Deus efficere potest; alterum, id est, jurisdictio solum requirit superioris voluntatem.

Obijciunt quinto: summus Pontifex Episcopos vocat fratres et collegas; igitur ab uno communi Patre Deo Ecclesiæ præficiuntur. Respondeo: primum vocari fratres ratione ordinis Episcopalis, in quo sunt æquales. Secundo ratione jurisdictionis, quia assumuntur Episcopi a Pontifice ad suum ipsius onus sustentandum, non ad aliquod inferius ministerium.

Obijciunt sexto: si debent omnes Episcopi a Pontifice accipere jurisdictionem; ergo plurimi Episcopi non fuerunt veri Episcopi,

nec enim omnes Episcopos, præsertim in Asia et Africa, creavit Romanus Pontifex. Respondeo: non esse opus ut Pontifex immediate creet Episcopos, sed satis esse, si mediate, id est, per Patriarchas et Archiepiscopos. Itaque initio Petrus constituit Patriarcham Alexandrinum et Antiochenum, qui a Pontifice auctoritate accepta, toti fere Asiæ et Africæ præerant, et Archiepiscopos creare poterant, qui postea crearent Episcopos.

(1) Act. XX, 28; Eph. IV, 11. — (2) Act. XV, 28; Rom. XIII, 1.